

„ sentem statum a Christo institutæ , necessaria sit ad eam
 „ a falsis infidelium conventibus distinguendam , & rationem
 „ nos putamus esse , quia hic quæritur distinctio ; ibi re-
 „ quirebatur unitas ; unitas esse poterat in re , esto non
 „ fuisset in signis ; hic autem si fuisset unitas in signis ,
 „ non vero distinctio , falsa Religio facile cum vera con-
 „ funderetur .

CAPUT QUINTUM.

De numero Sacramentorum .

§. I. **C**atholicis omnes conveniunt , septem esse Ecclesiæ
 Sacramenta : hanc doctrinam Sancta Apostolica Se-
 des , omnium Ecclesiarum Mater & Magistra , tenuit sem-
 per & docuit ; at contra hunc septenarium Sacramentorum
 numerum recentiores Hæretici , vere blaterones , blaterare
 non dubitant . Quod mirum , nec nobiscum consentiunt , nec
 cum aliis Novatoribus pacem habent , sed inter seipsos acer-
 rime pugnant . *Lutherus* modo tria Sacramenta agnoscit : Ba-
 ptismum , Pœnitentiam , & Eucharistiam . *Calvinus* tria agnovit :
 Baptismum , Cœnam , & manuum impositionem . *Zuinglius* duo :
 Baptismum & Cœnam . Mira fuit *Melanchtonis* inconstantia circa
 numerum Sacramentorum ; modo enim quatuor , modo quin-
 que admittit . Sex agnovit Sacramenta *Gulielmus Postellus* .
 Tandem *Lucas Osiander* , inter impudentes *Lutheri* affectus
 impudentissimus , duo admittit Sacramenta : Baptismum &
 Eucharistiam ; de eo sic *Ludovicus Elias Du-Pin* „ Il ne re-
 „ connoit point d'autres Sacremens proprement dits , que le
 „ Baptême , & l'Eucharistie , rejettant les cinq autres , com-
 „ me n'ayant pas les conditions de veritables Sacramens
 &c. Quod autem spiritum mendacii & erroris in ore suo
 habeant omnes isti , sequens propositio declarabit .